



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De probatione ab autoritate Historiarum. Cap. XXXXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

mandri tragœdijs illud sumpfit: Corruptunt bonos mo-  
res colloquia praua, & ad Titum ex Epimenide philoso-  
pho, Cretenses semper mēdaces, mala bestia, ventres pi-  
gri. Quamobrēm ad aliquid confirmandum, postquam  
Ecclesiasticus orator sanctorū patrum sententias aut ex-  
empla adhibuerit; nonnunquam philosophorum authori-  
tates adiungere vtile iudicamus: quo nos Christianos ve-  
re philosophia amatores magis pudeat: quod faciendum  
in primis est, cū de remittendis iniurijs, & de contem-  
ptu rerum externarum, deq; minimè formidanda mor-  
te agendum est. Plato, Aristoteles etiam, meliùs esse scrip-  
psit affici, quā afficere iniuria: nos Christiani, quod val-  
dè deplorandum est, tam dulcem, tam iucundam vindi-  
ctam ducimus. Philosophus dicebat, Omnia mea mecum  
porto, fugiens ab excidio patriæ: nos ad caelestem patriā  
nati, regis regum omnium Christi fratres, in magna re-  
rum copia egemus. Seneca docuit contemnendum esse  
contemptum; nos contemni, miserrimum arbitramur.

De probatione ab authoritate Historiarum.

Cap. XXXIX.

**I**NTERDV M etiam historia grauisimorum homi-  
num, presertim veterum, qui suspiciōe odij & gratia  
vacāt, plurimū valent ad faciendam fidem. Nam cū  
historia testis temporū, lux veritatis, vita memoria, ma-  
gistra vitæ, nuncia verustatis sit dicta; necessariò fides illi  
habenda est, nisi omniū rerum præteritarū memoria tol-  
lenda, et more pecudū vitæ degenda sit: nō est enim homi-  
nis benè instituti, et ad vitam humanam benè informati,  
viro graui & fide digno, aliquid affirmanti non credere:

F 4

verūm

verum omnes probati & graues historici, si in eadem re conueniunt, ex eorum authoritate certum argumētum promitur, vt fidei dogmata, firma etiam ratione confirmētur, verbi causa, beatissimum Apostolorum principem Petrum Romæ collocasse sedem, & pro Christo martyrij gloria coronatum esse, omnes graues historiae tradūt: unde certa argumentatione concludi potest, Romanum Episcopum Petro in pontificatu succedere. Item Cōcilium Nicenum tempore Constantini à Siluestro Pontifice maximo esse coactum, grauisissimi quique historici memoria prodiderunt. qua ex re colligimus, Concilij Niceni definitiones veras esse, eò quòd certum sit, Concilium generale Ecclesie à Romano Pontifice comprobatum, errare non potuisse. Incredibile est, quantā vtilitatem afferat oratori Ecclesiastico cognitio Ecclesiasticae historiae, in primis ad hereticos conuincendos, & ad rudium animos ad pietatē, omnemq; virtutem informādos. in quibus cōmemorandis hortamur clericos, vt modū adhibeāt, cum ad populum sermonem habent, nè in aliquā leuem memoria ostentationē incidant; vbi verò sacra loquuntur litera, vel Christus aliquid precipit: vbi traditione apostolica, vel authoritate conciliorū aliquid confirmari potest, longas historias proferre, superuacaneū aut ambitiosum esse videtur. Quoniam igitur declarauimus, quibus rationibus Ecclesiasticus orator dicēdo possit de rebus ad gloriā Dei et ad salutē animarū pertinentibus, auditores instruere, regnum Dei, quod ipsi & omnibus Christi fidelibus debet esse propositum, augere; consequens est, vt aggrediamur explicare, qua ratione auditorū animos possit cōmouere.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE